

erat 28 graduum, neq; ad hunc, neq; ad illum parallelum referri potest, verum cadit inter quintum & sextum parallelum: circumducta igitur aranea, colloco astrum directe in primo hoc est in quinto parallelo & acta per astrum linea fiduciae noto in limbo quotum gradum tangat, similiter prouoluta aranea, pono astrum seu gradum Ecclipticæ in quo sol versatur, super sextum parallelum, & rursus acta regula per ipsum, noto gradum limbi; tum inter duas illas notas numero gradus limbi, qui sint v. g. 10. per quos multiplico 3, residuas partes ultra 25, proueniunt 30, quæ diuido per numerum paralleli prioris, nempe 5, proueniunt in quotiente 6, pars nimirum proportionalis, quam adiungo internallis integris quinque; Astrum igitur collocabitur in quinto parallelo & sex partibus ultra versus sextum.

DECLINATIONEM SOLIS A V T C V I V S-  
vis puncti Ecclipticæ stellarumq; quavis hora  
indagare. Propos. V.

Circumduc rete, donec gradus Zodiaci, aut cacumen stellæ cuius declinationem inquiris, lineam meridianam attingat; tunc numera quot circuli Almicantharath, id est, paralleli horizontis inter gradum Zodiaci, seu cacumem stellæ, & æquinoctialem intercedant, tot enim graduum erit declinatio proposita: borealis quidem, si ab æquinoctiali intrinsecus versus centrum Astrolabij seu tropicum cancri: Australis, si ab æquinoctiali extrinsecus versus tropicum capricorni sint numerandi paralleli. Vt exempli gratia. Volo scire quanta sit declinatio Reguli seu cordis leonis, stellæ lucidissimæ in pectore leonis; circumduco reti sisto apicem denticuli, qui representat stellam illam in linea medij diei, & inuenio paulo minus quam 3. intercedere parallelos inter circulum æquinoctialem & apicem stellæ: quoniam verò, uti superius dictum fuit, ab uno parallelo ad alium, quinque semper intercedunt gradus in Astrolabijs quinque partijs, colligo declinationem stellæ prædictæ esse 14. grad. circiter versus boream,  
numero